

Ad tertium dicendum, quod quia caro est pars naturæ hominis, naturaliter homo ad carnem suam afficitur, secundum illud Ephes. v. 29. *Nemo carnem suam umquam odio habuit.* Unde secundum istam naturalem affectum inest viventi quædam sollicitudo quid etiam post mortem de ejus corpore sit futurum, doleretque, si aliquid indignum corpori suo evenire præsentiret: & ideo illi qui hominem diligunt, ex hoc quod affectui ejus quem diligunt, conformantur circa ejus carnem curam humanitatis impendunt. Ut enim dicit Augustinus in I. de Civ. Dei, ubi sup. *Si paterna vestis, si annulus, ac si quid hujusmodi tantocius sunt posteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiaris, atque conjunctius quam qualibet indumenta gestamus.* Unde & in quantum affectui hominis saristacit sepeliens ejus corpus, cum ipse in hoc sibi satisfacere non potest, eleemosynam ei facere dicitur.

Ad quartum dicendum, quod fidelium devotio, ut Augustinus dicit in Libro de cura pro mortuis agenda (ubi supra) suis caris in locis sacris providens sepulcrum, in hoc non frustratur quod defunctum suum suffragio Sanctorum committitur, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod sepultura in loco sacro impio defuncto non nocet, nisi quatenus hanc sepulcrum sibi indignam propter humanam gloriam procuravit.

ARTICULUS IV.

Utrum suffragia quæ fiunt pro uno defuncto magis proficiant ei pro quo fiunt quam aliis.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod suffragia quæ fiunt pro uno defuncto, non magis proficiunt ei pro quo fiunt quam aliis. Lumen enim spirituale est magis communicabile quam lumen corporale. Sed lumen corporale, scilicet candelæ, quamvis accendatur pro uno, tamen æqualiter omnibus prodest qui simul commorantur, quamvis pro eis candelæ non accendatur. Ergo cum suffragia sint quædam spiritualia lumina, quamvis pro uno specialiter fiant, non magis valerent ei quam aliis in purgatorio existentibus.

2. Præterea. Sicut in littera dicitur secundum hoc suffragia mortuis prosunt, quia cum viverent hic, sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Sed aliqui magis meruerunt ut suffragia sibi prodesse quam illi pro quibus fiunt. Ergo eis magis prosunt; alias eorum meritum frustraretur.

3. Præterea. Pro pauperibus non fiunt tot suffragia quot pro divitibus. Si ergo suffragia facta pro aliquibus, eis solum, vel magis eis quam aliis valerent, pauperes essent deterioris conditionis; quod est contra sententiam Domini Luc. vi. 20. *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei.*

Sed contra. Justitia humana exemplatur à divina justitia. Sed justitia humana, si aliquis debitum pro aliquo solvit, eum solum absolvit. Ergo cum ille qui suffragia facit, quodammodo solvat debitum ejus pro quo facit, ei soli proderit.

Præterea. Sicut homo faciens suffragia quodammodo satisfacit mortuo, ita & interdum aliquis pro vivo potest satisfacere, ut supra dist. xx. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. in corp. dictum est. Sed quando aliquis satisfacit pro vivo, satisfactio illa non computatur nisi illi pro quo facta est. Ergo & suffragia faciens, ei soli prodest pro quo facit.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod suffragia facta pro multis tantumdem valeant singulis ac si pro unoquoque singulariter fierent. Videmus enim quod ex lectione quæ uni legitur, nihil ei deperit, si simul & alii legatur. Ergo & eadem ratione nihil deperit ei pro quo fit suffragium, si ei aliquis connumeretur; & ita si pro pluribus fiat, tantum valet singulis ac si pro unoquoque singulariter fieret.

2. Præterea. Secundum communem usum Ecclesiæ videmus quod cum Missa pro aliquo defuncto dicitur, simul etiam orationes illic adjunguntur pro aliis defunctis. Hoc autem non fieret, si ex hoc defunctus pro quo Missa dicitur, aliquod detrimentum reportaret. Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Suffragia, præcipue orationum, inveniuntur divinæ virtuti. Sed apud Deum sicut non differt juvare per multos, vel per paucos, ita non differt juvare multos, vel paucos. Ergo quantum juvaretur unus ex una oratione, si pro eo tantum fieret, tantum juvabuntur singuli multorum, si eadem oratio pro multis fiat.

Sed contra. Melius est plures juvare quam unum. Si ergo suffragium pro multis factum tantum valeret singulis ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituisse ut pro aliquo singulariter Missa, vel oratio fieret; sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis; quod patet esse falsum.

Præterea. Suffragium habet finitam efficaciam. Ergo distributum in multos, minus prodest singulis quam prodesset, si fieret pro uno tantum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod tantum valeant suffragia communia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt, valent specialia, & communia simul. Unicuique enim secundum propria merita reddetur in futuro. Sed ille pro quo non fiunt suffragia, meruit ut tantum juvaretur post mortem, quantum ille pro quo fiunt specialia. Ergo tantum juvabitur per communia, quantum ille per specialia, & communia.

2. Præterea. Inter Ecclesiæ suffragia præcipuum est eucharistia. Sed eucharistia, cum contineat totum Christum, habet quodammodo efficaciam infinitam. Ergo una oblatio eucharistice quæ communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum qui sunt in purgatorio; & ita tantum juvant communia suffragia sola, quantum juvant specialia, & communia simul.

Sed contra est quod duo bona uno sunt magis eligenda. Ergo suffragia communia, & specialia magis prosunt ei pro quo fiunt, quam communia tantum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod circa hoc fuit duplex opinio.

Quidam enim, ut Præpositivus, dixerunt, quod suffragia pro uno aliquo facta non magis prosunt ei pro quo fiunt, sed eis qui sunt magis digni: & ponebat exemplum de candelæ quæ accenditur pro aliquo divite; quæ non minus aliis prodest qui cum eo sunt, quam ipsi diviti, & forte magis, si habeant oculos clariores: & etiam de lectione, quæ non magis prodest

QUÆSTIO II.

dest. ei pro quo legitur, quam aliis qui simul cum eo audiunt, sed forte alii magis qui sunt sensu capaciores. Etsi eis objiceretur, quod secundum hoc Ecclesiæ ordinatio esset vana, quæ specialiter pro aliquibus orationes instituit; dicebant, quod hoc Ecclesia fecit ad excitandas devotiones fidelium, qui promptiores sunt ad facienda specialia suffragia quam communia, & ferventius etiam pro suis propinquis orant quam pro extraneis.

Alii è contrario dixerunt, quod suffragia magis valent pro quo fiunt.

Utraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet. Valor enim suffragiorum potest pensari ex duobus. Valent enim uno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia; & secundum hoc verum est quod magis valent ei qui magis charitate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant: & sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quamdam interiorum consolationem, secundum quod unus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem, quantum ad diminutionem pœnæ: post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augmentandi, ad quod valent nobis in vita opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo suffragia valent ex hoc quod per intentionem unius alteri applicantur; & sic satisfactio unius alteri computatur: & hoc modo non est dubium quod magis valent ei pro quo fiunt, immo sic ei soli valent. Satisfactio enim proprie ad pœnæ dimissionem ordinatur: unde quantum ad dimissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei pro quo fit: & secundum hoc secunda opinio plus habet de veritate quam prima.

Ad primum ergo dicendum, quod suffragia prosunt per modum luminis, in quantum à mortuis accipiuntur; & ex hoc quamdam consolationem recipiunt, & tanto majorem, quanto majori charitate sunt præditi. Sed in quantum suffragia sunt quædam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia lumini; sed magis solutioni alicujus debiti. Non autem est necesse ut si debitum pro uno solvitur, quod ex hoc aliorum debitum solvatur.

Ad secundum dicendum, quod istud meritum est conditionale, quo sibi meruerunt: hoc enim modo sibi meruerunt ut sibi prodesse, si pro eis fierent; quod nihil aliud fuit quam facere se habiles ad recipiendum. Unde patet quod non directe meruerunt illud juvamen suffragiorum, sed per merita præcedentia se habilitaverunt, ut fructum suffragiorum susciperent: & ideo non sequitur quod meritum eorum frustraretur.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet divites quantum ad aliquid esse melioris conditionis quam pauperes sicut quantum ad expiationem pœnæ; sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni regni cælorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt ac si pro uno tantum fierent: quia charitas non minuitur, si dividatur effectus ejus in multos, immo magis augetur; & similiter etiam gaudium, quando pluribus

In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. feliciorum.

est commune, fit majus, ut dicit Augustinus VIII. Confess. cap. 111. & sic de uno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio quam unus. Si autem consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translata in mortuis, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit, & multis aliis. Sic enim effectus suffragii dividitur ex divina justitia inter eos pro quibus suffragia fiunt. Unde patet quod hæc quæstio dependet ex prima, & ex hoc etiam patet quare institutum sit ut suffragia specialia in Ecclesia fiant.

Ad primum ergo dicendum, quod suffragia, ut sunt satisfactiones quædam, non prosunt per modum actionis, sicut doctrina prodest, quæ sicut & omnia alia actio effectum habet secundum dispositionem recipientis; sed valent per modum solutionis debiti, ut dictum est: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quia suffragia pro uno facta aliquo modo etiam aliis prosunt, ut ex dictis patet, ideo cum pro uno Missa dicitur, non est inconveniens ut pro aliis etiam orationes fiant. Non enim ad hoc dicuntur aliæ orationes, ut satisfactio unius suffragii determinetur ad alios principaliter, sed ut illis oratio pro eis specialiter fusa prosint.

Ad tertium dicendum, quod oratio consideratur & ex parte orantis, & ex parte ejus qui oratur, & ex utroque effectus ejus dependet: & ideo quamvis divinæ virtuti non sit magis difficile absolvere multos quam unum, tamen hujusmodi orantis oratio non est ita satisfactoria pro multis sicut pro uno.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod hujusmodi etiam solutio dependet ex solutione primæ quæstionis. Si enim suffragia specialiter pro uno facta, indifferenter omnibus valent, tunc omnia suffragia sunt communia: & ideo tantum juvabitur ille pro quo non fiunt specialia, quantum ille pro quo fiunt, si sit æqualiter dignus. Si autem suffragia pro aliquo facta non indifferenter omnibus prosint, sed eis maxime pro quibus fiunt, tunc non est dubium quod suffragia communia, & specialia simul plus valent alicui quam communia tantum: & ideo Magister duas opiniones in littera tangit. Unam quæ dicit, quod æqualiter prosunt diviti communia & specialia, & pauperi communia tantum; quamvis enim ex pluribus unus juvetur quam alter, non tamen plus juvatur. Aliam autem tangit, cum dicit, quod ille pro quo fiunt suffragia, consequitur (1) faciliorem absolutionem, sed non pleniorum: quia uterque finaliter ab omni pœna liberabitur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut ex dictis patet, juvamen suffragiorum non cadit directe sub merito, & simpliciter, sed quasi sub conditione: & ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento eucharistie, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur: unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum qui sunt in purgatorio expietur, sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis: unde & quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati

injunguntur. Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispenseretur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum in sermone de dormientibus sic dicentem: *Deus tamquam justus committitur impotenti possibilitatem, tamquam (2) sapiens vere defectuum commutationem negotiabitur*: quæ quidem negotiatio attenditur quod id quod deest uni, alter supplet.

QUÆSTIO III.

DEinde quæritur de orationibus Sanctorum, quibus pro nobis orant: & circa hoc quærentur tria. Primo. Utrum Sancti orationes nostras cognoscant. Secundo. Utrum debeamus omnes interpellare ad orandum pro nobis.

Tertio. Utrum orationes eorum pro nobis fusæ semper exaudiantur.

Utrum autem possimus Sanctos orare, & utrum Sancti qui sunt in patria, orent pro nobis, habitum est supra dist. xv.

ARTICULUS I.

Utrum Sancti orationes nostras cognoscant.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod Sancti orationes nostras non cognoscant. Isai. xl. 16. *Pater noster es, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit eos.* Glossa Augustini dicit, (3) quia mortui, & Sancti nesciunt quid agant vivi, etiam eorum filii: & sumitur ab Augustino in Lib. de cura pro mortuis agenda, ubi hanc auctoritatem inducit, & sunt hæc verba Augustini ibidem cap. xlii. *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ab eis procreatum ageretur ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis, adjuvandsque miscerentur?* Ergo Sancti orationes nostras cognoscere non possunt.

2. Præterea. IV. Reg. xlii. 20. dicitur ad Josiam Regem: *Adcirco, quia scilicet flevistis coram me, colligam te ad patres... ut non videant oculi tui mala omnia quæ inducturus sum in locum istum.* Sed in hoc nullo modo per mortem Josiæ subventum fuisset, si post mortem genti suæ quid eveniret, cognosceret. Ergo Sancti mortui actus nostros non cognoscunt, & ita non intelligunt orationes nostras.

3. Præterea. Quanto aliquis est in charitate perfectior, tanto magis proximo in periculis subvenit. Sed Sancti in carne viventes proximis, & maxime sibi conjunctis in periculis & consulunt, & auxiliantur manifeste. Cum ergo post mortem sint multo majoris charitatis, si facta nostra cognoscerent, multo amplius suis caris sibi conjunctis consulerent, & auxiliarentur in necessitatibus; quod facere non videntur. Ergo non videtur quod actus nostros, & orationes cognoscant.

4. Præterea. Sicut Sancti post mortem vident (4) Verbum, ita & Angeli, de quibus dicitur Matth. xviii. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Sed Angeli Verbum videntes non propter hoc omnia cognoscunt, cum à nescientia minores à superioribus purgentur, ut patet per Dionysium in vi. cap. eccles. Hierar. Ergo nec Sancti, quamvis Ver-

(2) Al. suscipiens. (3) Nicolai: quia etiam mortui Sancti. (4) Al. Verbum tantum, & Angeli. (5) Nicolai: *Quantumlibet enim parum de luce, &c.*

bum videant, in eo nostras orationes cognoscunt, & alia quæ circa nos aguntur.

5. Præterea. Solus Deus est inspector cordium. Sed oratio præcipue in corde consistit. Ergo solus Dei est orationes cognoscere: non ergo Sancti orationes nostras cognoscunt.

Sed contra super illud Job xiv. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*: dicit Beatus Gregorius XII. Lib. Moral. cap. xlv. *Hoc de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foras aliquid quod ignorent.* Ergo ipsi orationes sibi factas cognoscunt.

Præterea. Gregorius in II. Dialog., cap. xxxv. *Anima videnti Creatorem angusta est omnis creatura.* (5) *Quantumlibet enim de luce Creatoris aspexerit, brevis sit ei omne quod creatum est.* Sed hoc maxime impediret videretur quod animæ Sanctorum orationes, & alia quæ circa nos aguntur, cognoscant, quia à nobis distant. Cum ergo distantia illa non impediat, ut ex prædicta auctoritate patet, videtur quod animæ Sanctorum cognoscant orationes nostras, & ea quæ hic aguntur.

Præterea. Si ea quæ circa nos aguntur, non cognoscerent, nec pro nobis orarent, quia defectus nostros ignorarent. Sed hic est error Vigilantii, ut Hieronymus dicit in epistola contra eum. Ergo Sancti ea quæ circa nos aguntur, cognoscunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia: quod patet ex hoc quod Deus videndo suam essentiam omnia intrinsecus. Non tamen sequitur quod quicumque essentiam Dei videt, omnia cognoscat, sed solum qui essentiam comprehendit; sicut nec principio aliquo cognito, consequens est omnia cognosci quæ ex principio consequuntur, nisi tota virtus principii comprehendatur. Unde cum animæ Sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens ut omnia cognoscant quæ per essentiam divinam cognosci possunt: unde etiam de quibusdam inferioribus Angelis à superioribus edocentur, quamvis omnes essentiam divinam videant. Sed unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit, ut homo habeat quiddam vellet, nec aliquid inordinate velit, sicut infra dist. xli. quæst. 11. art. 5. habetur. Hoc autem recta voluntate quilibet vult ut ea quæ ad ipsum pertinent, cognoscat: unde cum nulla rectitudo Sanctis desit, volunt cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent: & ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet quod auxilium indigentibus præbeant ad salutem: sic enim Dei cooperatorum efficiuntur, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit III. cap. eccles. Hierar. Unde patet quod Sancti cognitionem habeant eorum quæ ad hoc requiruntur: & sic manifestum est quod in verbo cognoscunt vota, & orationes, & devotiones hominum qui ad eorum auxilium confugiant.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de cognitione naturali animarum separatarum: quæ quidem cognitio in Sanctis viris non est obtenebrata, sicut est in peccatoribus:

non autem loquitur de cognitione in Verbo, quam constat Abraham eo tempore quo hæc dicta sunt per Isaiam, non habuisse, cum ante passionem Christi nullus ad visionem Dei pervenerit.

Ad secundum dicendum, quod Sancti etsi post vitam cognoscant quæ hic geruntur, non tamen credendum est quod afficiantur doloribus, cognitis adversitatibus eorum quos hic in sæculo dilexerunt: ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis quod dolor in eis locum (4) non invenit: unde si cognoscant suorum infortunia post mortem, nihilominus eorum dolori consulitur, si ante hujusmodi infortunia de hoc sæculo subtrahuntur. Sed forte animæ non glorificata dolore aliquem sentirent, si incommoda suorum charorum perciperent. Et quia anima Josiæ non statim glorificata fuit à corpore egressa, quantum ad hoc ex hac ratione Augustinus concludere nititur quod animæ mortuorum non habent cognitionem de factis viventium.

Ad tertium dicendum, quod animæ Sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati, etiam in volito: & ideo quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen eis alter auxilium ferunt quam secundum quod per divinam justitiam vident esse dispositum. Et tamen credendum est quod multum proximis juvent, pro eis apud Deum intercedendo.

Ad quartum dicendum, quod quamvis videntes Verbum non sit necessarium omnia in Verbo videre; vident tamen ea quæ ad perfectionem pertinent beatitudinis eorum, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod cogitationes cordium solus Deus per seipsum novit; sed tamen alii cognoscere possunt quatenus eis revelatur vel per visionem Verbi, vel quocumque alio modo.

ARTICULUS II.

Utrum debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis.

2. 2. quæst. lxxxii. art. 11.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod non debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis. Nullus enim amicus alicujus interpellat ad orandum pro se, nisi quatenus apud eos credit facilius gratiam obtinere. Sed Deus est infinitum magis misericors quolibet Sancto, & sic ejus voluntas facilius inclinatur ad nos exaudiendum, quam voluntas alicujus Sancti. Ergo videtur superfluum esse constituere Sanctos mediatores inter nos & Deum, ut ipsi pro nobis intercedant.

2. Præterea. Si eos ad orandum pro nobis interpellare debemus, hoc non est nisi quia scimus eorum orationem esse Deo acceptam. Sed quanto aliquis est sanctior inter Sanctos, tanto ejus oratio est magis Deo accepta. Ergo semper deberemus superiores Sanctos pro nobis intercessores constituere ad Deum, & nunquam minores.

3. Præterea. Christus secundum etiam quod homo, dicitur Sanctus Sanctorum, & ei secundum quod homo orare competit. Sed nunquam Christum ad orandum pro nobis interpellamus. Ergo nec alios Sanctos interpellare debemus.

4. Præterea. Quicumque rogatus ab aliquo pro eo intercedit, preces ipsius ei repræsentat apud quem

In IV. Sent. Tom. V.

(4) In editis: non invenit, si cognoscant suorum infortunia post mortem: nihilominus &c.

pro eo intercedit. Sed superfluum est aliquid repræsentare ei cui sunt omnia potentia. Ergo superfluum est quod Sanctos pro nobis intercessores constituamus ad Deum.

5. Præterea. Illud est superfluum quod fit propter aliquid quod sine eo eodem modo fieret, vel non fieret. Sed similiter Sancti orant pro nobis, vel non orant, sive nos oremus eos, sive non oremus: quia si sumus digni ut pro nobis orarent, etiam nobis eos non orantibus, pro nobis orarent; si autem sumus indigni, etiam si petamus, pro nobis non orant. Ergo interpellare eos ad orandum pro nobis videtur omnino superfluum.

Sed contra est quod dicitur Job v. 1. *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Vocare autem nostrum, ut Gregorius ibidem dicit Lib. V. Moral. cap. xxx. est humili Deum prece deprecare. Ergo cum volumus orare Deum, debemus ad Sanctos converti, ut orent pro nobis ad Deum.

Præterea. Sancti qui sunt in patria, magis sunt accepti Deo quam in statu viæ. Sed Sanctos qui sunt in via, constituere debemus interpellatores pro nobis ad Deum exemplo Apostoli, qui dicebat Rom. xv. 30. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Ergo & nos multo fortius petere debemus à Sanctis qui sunt in patria, ut nos juvent orationibus ad Deum.

3. Præterea. Ad hoc est communis consuetudo Ecclesiæ, quæ in litanis Sanctorum orationem petit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod iste ordo est divinitus institutus in rebus secundum Dionysium ut per media ultima reducatur in Deum. Unde cum Sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divina legis ordo requirit ut nos qui manentes in corpore peregrinamur à Domino, in eum per Sanctos medios reducatur; quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas suam effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatis ipsius ad nos, sicut medianibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus medianibus Sanctis: & inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, & quasi mediatores dum ab eis petimus quod pro nobis orant.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut non est propter defectum divinæ potentie quod medianibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis universi, & ut ejus bonitas multipliciter diffundatur in res, dum res ab ea non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordie ipsius quod oporteat ejus clementiam per orationes Sanctorum pulsare, sed est ad hoc ut ordo prædictus conservetur in rebus.

Ad secundum dicendum, quod quamvis superiores Sancti sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores Sanctos interdum orare; & hoc propter quinque rationes. Primo, ex hoc quod aliquis quandoque habet majorem devotionem ad Sanctum minorem quam ad majorem; ex devotione autem maxime dependet orationis effectus. Secundo, propter fastidium tollendum, quia assidue

Li 2. uni-